

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joannis Reuchlin ... Liber congestorum de arte praedicandi

Reuchlin, Johannes

Phorce, 1508

VD16 R 1251

[urn:nbn:de:bsz:31-373525](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-373525)

○ 42


A 661

042 A 661 Rare

• Becking Nr. 87

1941 nr 327

Pc 2204 a



042 A 661 R

Joannis Keuchlin Pborcen
fis.LL.doctoris Liber Congestorum
De arte prædicandi

Vldaricus Charintus ad Lectorem

Arte, modo, officio vis declamare sacerdos
Prisco, ne fugias quæ docet iste liber

Georgius Simler
Vt possis totæ penetrare silentia turbe
Grataq; suggesto dicere verba gregi
Sepe sub obscuro meditari pulchra facello
Ne fugiat cœtum tempus & hora tuum
Ioannes doctos inter celeberrimus omnes
Efficit, & patriæ gloria magna suæ.



3

Ioannis Reuchlii Phorcensis, LL. doctoris Liber cō-
gestorū De arte predicandi Ad Reuerēdum patrem
Dñm Petrū prepositum in Denckendorf Ordinis san-
cti Dominici sepulchri per Germaniam Vicarium
& visitatorem generalem incipit

Cum aut nostra erga superos impietate, aut cęlestiū soli-
to influxu, dei ue omnia gubernantis providentiā factū
sit, vt apud nostrates vbiq; iam grassante tanta pestilita-
tis lue vix tuto in ipsis quasi petrarū cauernis cōsisti que-
at. Tu me pius pater p tua singulari beneuolētia tam in
me q̄ in meos, & omnibus nota & mihi hactenus a mul-
tis annis perspecta, cogitantē quorsum cū uxore ac fami-
lia domo secederē, dedita opera per tuos familiares ad
te in ipsum tuū Monasteriū vocasti, Quę res digna mihi
videri debet in omne eū perpetua gratitudine mea, nō
modo erga te qui mihi tāto adiuuētō esse voluisti, uerū
etiam in tuos & Monasterij tui fratres ac dei seruos, qui
noctes atq; dies in creatoris obsequio famulant. Quod
em illi vel officiū vel beneficiū in mihi gratificādo vnq;
intermiserunt: aut quā humanitatē domesticis meis vl-
lam negarūt: Quibus cū in tā molesto ocio & bibliote-
cę meę tristi absentia, diu mecū ipse subdubitarē, qualis
a me gratia referat, tua sum adhortatione factus certior
nihil fore qđ adulescētibus tuis vel etiā puectę etatis sa-
cerdotibus ad regēdas parochias quarū tibi copia ē ma-
gis cōducere possit, q̄ si id curarē ut in arte predicandi
euaderent q̄ doctissimi. Feci igitur quod in tā suspecta
tēpestate uel prę timore vel męrore potui, ut vna lucu-
braciuncula hęc de arte predicādi documēta cōgererē,
quę adolescentibus tuis viua uoce declamaui, vt cresce-
rent tandē in viros euāgelicos, quorū sermonibus plebs
ad meliores mores cōuerteret. Accipe igitur hoc munu-
sculū grato anio, qđ quāq; paruū extat corpore, tñ mea
fñia lucebit plurimū & tutibus. Vale Ka. Janu. An. m. d. iij



LIBER CONGESTORVM DE ARTE PRE
dicandi Ioannis Reuchlin Phorcēsis. LL. doctoris

a Rs prædicandi, est facultas hominem alliciendi
ad virtutes & cōtemplationem diuinam, ex san-
ctarum scripturarum promulgatione.

Prædicator est uir religiosus dicendi peritus, auctoritas
te superioris ecclesiastico pulpito præfectus

Quæcunq; igitur res inciderit, hominum salutem neces-
saria, quæ sit dictione explicanda, eam qui prudenter &
cōposite & orate & memoriter dicet, cum quadam ac-
tionis etiã dignitate, is tanto nomine dignus censetur

OFFICIUM prædicatoris est, dicere apposite ad per-
suasione[m], cum quadam dignitate
FINIS eius est bene dixisse.

MATERIA est, omnis res quæ se offert ad faciendum
nos quotidie meliores, de qua nouerit bene dicere præ-
dicator.

Artis prædicandi partes sunt tres, Inuentio, memoria
& pronuntiatio. Quos Natura, Præceptis, Imitatione &
exercitatione, facile consequemur.

Artis prædicandi maxima laus est, cælare artem, Ne fi-
ctus sermo videatur, & comparatus, artificij significandi
ingenijq; uenditandi & memorię ostēdendę causa
Opus artis est sermo

DE INVENTIONE

SERMO constat. Principio. Lectione. Diuisione. Cō-
firmatione. Confutatione. Conclusionem.

PRINCIPIUM conciliat auditorem Cōclusio mouet
cæterę partes docent, vniuersę delectant.

a ij

SERMO prædicantis circa tres spēs versatur, aut enim ad hominē spectat quantū ad se solum, aut ad homines inter seipsos, aut ad homines relatione quadā ad diuina, Primū philosophia moralis tropologicæ, Secundū. R.P. christianorum ciuilibus allegorice. Tertiū absoluet theologia anagogice, In earū specierū singulis tres fines sermō nū cōstituunt, aut enim equitatē nobis proponimus aut utilitatē, aut honestatem, Aequitas accusat vel defendit hominē, Utilitas hortat vel dehortat cōmunionem fidei, Honestas laudat vel vituperat humanū in rebus diuinis exercitiū, Que tñ omnia mutuis stant auxilijs

Facturus sermonē præmeditari debet coram quibus, quid, quāliter, qua audientū opinione, quā loco, quo tēpore prædicandū sit, vt scd̄m horū rōnes tēperādus sit sermo.

Si mores eorū corā quibus prædicandū est cognoueris facile tibi sumere poteris principiū, si scias quid dicendū sit, iam ipsa tibi lectio nota erit. Si qualiter, vtiq; rectius diuides, & sic de cæteris cætera.

De Principio

Principium nobis statim animū auditoris idoneū reddit ad audiendū, id sumitur ut attentos, vt dociles, vt beniuolos auditores habere possimus, quamuis ad illud ipsum in toto etiam sermone debeamus conari

Principij tres sunt partes. Prima que summā causę cōplectit, & græco noīe cōsueuit thesis seu thema vocari, quod latini positum vel propositum nomināt, officium eius est auditores facere dociles

Secunda est supplicatio qua diuinū impetramus auxiliū, officium eius est, auditores facere deuotos & diuinorum munerum capaces

Tertia pars proœmion græce appellatur id est præiudium, a musicorū cōsuetudine tractū, qui ante cantilenā inchoandā solēt artificiosum apparatus ostēdere. Nā

pro idem est quod pre, & æme, cantilena, id quod nos
preſationē dicere poſſumus, Officiū eius est attentio-
tione & beniuolentiā nobis animos auditorū conciliare

ATTENTOS habebimus, Si pollicebimur nos de re-
bus magnis nouis inuſitatis uerba facturos, aut de ijs re-
bus quę ad res chriſtianas, ad ſalutem animę, ad auerſio-
nem diuine irę ac dei omnipotentis placationē & voto-
rum noſtrorū expletionē pertineāt, & ſi uerbis excitanti-
bus hortabimur ut attente audiant

BENIVOLENTIA captatur, a noſtra, ab auditorum
ab aduerſarioꝝ persona, & a re ipſa, cū noſtra ſine arro-
gantia. Cętera uero citra adulationē ſapiēter laudamus
Cum inimicorū odium, inuidiam, contempſionem mo-
uebimus, Cum rem ita proponimus ut ab eo quod odit
ad id quod diligit, auditoris animus traducatur

Hęc omnia inſinuatio per diſſimulationē occulte agit
interiectione uerboꝝ ad mouēdā beniuolentiā aptorū.

PRINCIPIVM ex corde materię ſumendum eſt, ut
proprie cohæreat cum lectione & ex ipſa cauſa natum
uideatur, non uulgare, non cōmune non nimium ap-
paratis uerbis cōpoſitum, nō nimis longum. Ut aut hęc
omnia poſſint ad uſum cauēri, tutius erit cōpoſitio-
nē principij uſq; ad ultimū reſeruari,

DE LECTIONE

LECTIO ſcripturę Canonice populo recitari debet
quę nō aliūde, q̄ de uetere aut nouo teſtamēto p̄mēda
eſt, iuxta p̄ceptum chriſti qui tanquam bonus pater fa-
milias de theſauro ſuo protulit noua & uetera, Quod di-
co inquit uobis in tenebris dicite in lumine, & quod in
aure auditis p̄dicare ſuper tecta

Prophana autem ut paulus ait & uana eloquiā & ſtul-
tę ſine diſciplina queſtiones & genealogię & cōtētiōes
& pugne legis & Iudaicę fabulę & mandata hominum

a iij

auerfantium a veritate deuitāda sunt, ne secundum Hieronymū Sacerdotes dei omīssis euāgelij & pphetis videātur comœdias legere, amatorīa bucolicorū versuū verba cātare, tenere Virgiliū, & eius generis cætera

LECTio euāgelij aut epistolæ canonicæ siue alia quælibet in ecclesia & breuiter & clare et verisimiliter, Quod cum veteris testamēti, proponi debet in cæteris homiliæ partibus, tum in hac maxime obseruandum est.

BRēuis erit, si ex nullo cursu, nullis ambagibus sed verbis ad rem ipsam tātum necessarijs utentes, Ita euāgelium epistolā vel pphetiā prædicamus, vt eius facile meminerit auditor, in quo cauēdū est, ne bis idem aut id quod supra diximus iterū dicamus

CLARA erit, si rei qualitates verbis illas pprie explicātibz significentur, debita pnunciatione ad hoc accommodata, vt auditor facillime accipiat atq; intelligat

Verisimilis & credibilis erit, si eius circumstātię sicut negocij natura & audiētū opinio postulat, obseruētur quātūuis de necessitate salutis sit sacre scripture credēdū

DE DIVISIONE

Diuisio est rerum de quibus dicturi sumus breuis enumeratio vt certas res animo teneat auditor, quibus dictis, intelligat sermonē esse perfectū, Diuisio debet esse absoluta, pauca, subdistribuenda, ordinata.

ABSoluta vt nihil in ea desit aut supersit, nullum nisi necessarium assumendo verbum

PAUCA vt sola sine speciebus genera ita pponat, vt nec species tāquā dissimiles generi pmisceat, Nec superuacua assumens, aut in minutissima diuidens, plura q̄ factis est mēbra faciens, in eādē incidat obscuritatē cōtra quā diuisio inuenta est

Subdistribuenda est a generibus simpliciter expositis ad species, cum id causa postulat singulariter & commodissime exequendas

ORDinata vt ita queq; res dicendo trāfigatur, vt per diuisionem fuerit exposita vel vltimo distribuatur quæ auditor maxime optare videtur Diuisio quamuis numero uelut lege nō sit alligāda, tñ decet eā plusq; trium partiū numero cōtineri nō oportere, Nam & periculosum est inquit Cicero, nequādo plus minusue dicamus, Et suspicionem affert auditoribus meditatiōis & artificij, quæ res fidem abrogat prædicatori

DE CONFIRMATIONE

Cōfirmatio est propositę lectionis approbatio, secundum distributorum mēbrorū expositionē.

Si nostra probari (q̄ quæ sunt aduersariorū redargui) facilius possunt, a confirmatione incipiamus. Sin aliena melius faciliusq; refelli, a refutatione, omnia illi cōferentes, initium faciamus.

Aduersarij sunt, Demones, vitia, homines peruersi & quicquid nō est amicū deo, testāte Christo Matthæi. xij. capi. Qui nō est mecū, cōtra me est

Eadem sunt quibus causam nostrā & cōfirmamus & confutamus. quia cōtrariorum (vt inquit Aristotiles in sexto topicorū libro) est eadem dīsciplina

Nā in cōfirmādo nostra pbare volumus, in cōfutādo redarguere cōtraria, vt, M, T, Cicero ait in libro partitionū

In omī materia vel ethica vel politica vel theologica causarū tria possunt genera occurrere Demōstratiuum Deliberatiuum & iudiciale

DEmonstratiuum est quod tribuitur in alicuius laudem aut vituperationem.

DEliberatiuum est quod habet in se suasionem & dīsuasionem.

Iudiciale est quod positum in controuersia, habet accusationē aut petitionē cum defensione

Quāuis autē prædicatoris sermo non in medio conuersionis habetur in qua viritū consultiō queritur Nec

apud tribunal vbi & actoris & rei & iudicis persona requiritur, Tamen ab vnus persona predicatoris, omnia hæc genera veniunt agenda, perinde atq; sit ipse actor, & populus reus & conscientia iudex, aut rursus, vnus ipse predicator suppleat omnium suffragiorum vota.

Tota spes vincendi ratioq; persuadendi posita est in confirmatione & confutatione

Cum omnis sermo ecclesiasticus aut de aliqua re substantiua fiat, aut de aliquo negotio, Sicut si esset in iudicio sup persona & sup facto, De quibus aut questio est ea dubitationi fide facere nequeant, Iccirco ea quæ sunt personis ac negotiis attributa, confirmationi locos prestabunt.

ATTRIBUTA dicuntur circumstantia, quia substantiam circumuenientes, efficiunt questiones, Nisi enim sit qui fecerit, causaq; cur fecerit, locus tempusq; quo fecerit, Modus etiã & facultas si desint, causa non stabit.

Quædam sunt attributa personæ, quæ facile poteris memoria tenere his versibus

Nomen, natura, cum fortuna, studioq;

Personæ victus, habitus, affectio, casus

Quædam vero negotij attributa sunt, quæ patet hoc metro

Quidnam, cur, quibus auxilijs, ubi, quomodo, quando

Ea vocauit Cicero quis & quid,

LOCVS est sedes argumenti

ARGUMENTVM est probabile inuentum ad faciendam fidem, vel sic iuxta Tullium in topicis, Argumentum est ratio rei dubie faciens fidem

LOCORVM quidam ducuntur ex ijs quæ inherent in ipsa re de qua agitur, alij extrinsecus assumuntur, ab ijs quæ remota vocant

In ipso sunt, ex toto, ex partibus eius, ex nota, ex ijs rebus quæ quodammodo affecte sunt ad id de quo querit.

TOTVM apud Ciceronem est definitio. apud Theophrastum substantia

Partes sunt generis species, & specierum membra

Nota est nominis interpretatio

Et ex ijs autem rebus que quodammodo affecte sunt ad id de quo querit alia coniugata appellatur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex coniunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis; alia ex effectis, alia ex comparatione, aut maiorum, aut parium, aut minorum, Hec in libris partitionum & topicorum M. T. Cicero latius explicat.

Diffinitio est oratio que indicat quid res sit, ut furtum est contrectatio rei alienae inuito domino. Quisquis ergo abiurauit proprium, utendo rebus ecclesie vel monasterii sine consensu prelati facit furtum, Locus hic erit diffinitio in qua sedet maxima, Cui diffinitio conuenit, ei & diffinitum, Ea fit hoc modo, Cum sumpseris ea que sunt rei quam diffinire uoles cum alijs communia ut usque eo persequaris dum ita proprium efficiat, ut nullam in aliam rem transferri possit, id uocant dialectici ex genere & differentia rei propria, complexionem

Diuisio formas complectitur sub genere positas, ut quia neque prudens es neque iustus es neque fortis neque temperatus, ideo ne uirtuosus quidem es

Partitio rem que proponitur quasi in membra discipit, Ut quia neque fundum neque tectum neque parietes habet, ideo domus non est, Horum locorum sedes est. ubi partes desunt, ibi totum non esse

Ex interpretatione nominis que graeci Etymologiam nominant, & latini Notationem, eo quod Aristoteles Symbolon illud uocet id est notam, Sic argumentabimur ex alicuius scilicet uerbi uis ac potestate, Ut si regulares esse dicuntur qui regulam ab ecclesia approbatam solemniter uouerunt, iam utique is desinit talis esse, qui concubinaris uis aut fornicator est. Item illud eiusmodi est, Episcopi

nomen amittit qui peccantes subditos non corrigit, Locus ab etymologia, propositio maxima, uel interpretatio non congruit neque nomen conueniet

CONIVGAT ut, quæ orta ab vno verbo varie mutatur vt. Sapiens, sapienter, sapientia, Inde illud Sapientie. vi. Potens potenter tormenta patientur. Et illud Matthæi. xxi. Malos male perdet. Et si risus est gaudium, ridere est gaudere. Maxima. Cōiugatorum eadem esse naturam.

GENVS est quod de pluribus specie differētibus in eo quod quid sit prædicatur. Nō autē erit necesse id usque a capite accersire. Sepe etiā citra licet, dummodo supra sit quod sumit magis quā id ad quod sumit. Ab hoc argumentū ducit hoc modo. Prima Pauli ad Corinthios. vi. capitulo An nescitis quia iniqui regnum dei nō possidebunt. Nō līte errare neque fornicari neque adulteri neque ebriosi regnum dei possidebunt. Maxima. Quod generi nō conuenit, id omnibus sub eo genere constitutis denegari

FORMA vel species est, quæ de pluribus solo numero differentibus dicitur, in eo quod quid sit. Ab hac sic ducitur argumentum, vt in Epistola canonica Iacobi capitulo. v. Helias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit ut nō plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursus orauit & cœlum dedit pluuiam & terra dedit fructum suum. Orate igitur pro inuicem vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Locus a specie. Maxima. Quod singulis congruit id etiam speciei. Est autem hæc argumentatio que absque inductione reperitur non urgens sed persuadens sicut ceteri oratorij loci. Potest & a specie regressio fieri ad genus, vt apud Paulum ad Galatas. v. Testificor autē rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersę legis faciendę. Maxima, In speciebus spectari generum proprietatem

SIMILITVDO est eadem rerum differentium qua

litas. Ab hac ita argumentabimur. Iacobi. v. Ecce agrico-
la expectat preciosum fructum terre, patienter ferēs do-
nec accipiat temporaneum & serotinum, patientes igitur
estote & uos & confirmate corda uestra quoniam ad-
uentus domini appropinquabit. Maxima propositio. De
similibus idem esse iudicium.

DIFFERENTIA sunt, quorum rationes non sunt eg-
dem. Ab his talis est argumentatio, Ioannis. xv. capitulo
Iam non dicam uos seruos quia seruus nescit quid faciat
dominus eius, Vos autem dixi amicos, quia omnia
quęcunq; audiui a patre meo nota feci uobis. Maxima
propositio, Differentiū rerum, diuersum esse iudicium.

CONTRARIA inueniuntur quattuor modis. Aut
enim aduersa sunt ut album nigrum, a ut priuatiua ut iu-
stitia iniustitia, aut relatiua, ut dominus seruus, aut nega-
tiua, ut uidere non uidere. A talibus hoc modo sumitur
argumētum, ex Paulo ad Galatas. v. capitulo. Caro em
concupiscit aduersus spiritum, Spiritus autem aduersus
carnem, hec enim sibi inuicem aduersantur. Manifesta
autem sunt opera carnis quę sunt fornicatio immunditia
& cetera. Fructus autem spiritus est charitas, modestia
continentia, castitas &c.

Locus a contrarijs. Maxima propositio, Contraria sibi
conuenire non posse

CONIUNCTA sunt, quę finitimum locum obtinent
Hic locus ad coniecturam pertinet, cum queritur quid
aut sit, aut euenerit, aut futurum sit, aut quid omnino fie-
ri possit, hoc est, quid ante rem, quid cum re, quid post
rem euenerit. Ante rem queruntur quę talia sunt Ap-
paratus, colloquia, locus, constitutum conuiuium Cum
re autem, pedum strepitus, crepitus hominum, corporum
umbra. & si quid est huiusmodi. At post rem pal-
lor, rubor, titubatio, pavor, & si qua alia signa con-

turbationis & conscientie, vt gladius cruentus, ignis extinctus, cæteraq; quæ suspicionem facti possunt mouere Exemplâ, de signis ante rem. Ester. vii. capitulo En lignum quod parauerat Mardochæo, De coniunctis cum re, i. Re. xix. Nisusq; est Saul configere Dauid lancea in pariete, Et declinauit Dauid a facie Saulis, Lancea autem casu vulnere perlata est in parietem. De cõiunctis post rem. iij. Regum. iij. Dixit autem mulier cuius filius erat viuus ad regem (commota sunt quippe viscera eius super filio suo) obsecro domine date illi infantem viuum & non occidatur, Econtrario illa dicebat. Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur, Maxima propositio, Ex adiunctis adiuncta perpendi.

Antecedentia & cõsequentia differunt a superiori loco, Nam coniuncta non semper eueniunt Cõsequentia autem semper, Ea em̄ dicuntur cõsequentia quæ rem necessario cõsequuntur, Item & antecedentia & repugnantia, Quicquid em̄ antecedit quanc; rem. id cohæret rei necessario, Et quicquid repugnat, id eiusmodi est, vt cohære nunquam possit, De primo, Genesis. xxxviii. Fornicata est Thamar nurus tua & videtur vterus illius intumescere. Antecedens enim est grauidam esse, Consequens autem concubuisse, Nec enim queritur hic, quid prius tempore sit, quid ve posterius, Maxima propositio. Posito antecedente, comitari quod subsequitur, & perempto consequente, perimi quod antecedit

Repugnantia autem sunt contrariorum consequentia vt vigilare dormire contraria sunt & stertere dormienti tibus adiunctum est, Stertere igitur ac vigilare repugnantia sunt, Ab his ita fit argumentum, Tu ne illum vigilare dicas qui stertit? Eiusmodi est frequens in prouerbijs Salomonis, vt prouerbiorum. xij. Fatuus statim in dicat iram suam, qui autem dissimulat iniuriam callidus est, Maxima propositio. Repugnantia sibi cõuenire non posse.

CAVSA efficiens est, quę quamlibet rem præcedēs efficit nō tēpore sed proprietate nature, vt sol diem, Vn de sic ducit argumētū Iosue. x. ca. Stetit itaq; sol i medio cœli & nō festinauit occūbere spacio vnus diei, igit nō fuit ante & postea tam longa dies, Maxima propositio. Vbi causa est, inde effectum deesse non posse

EFFECTVM est, quod efficit causa. Ab hoc transmittitur argumētū. Matthei. vii. A fructibus eorū cognoscetis eos, Nunquid colligunt de spinis vvas aut de tribulis ficus. Item non potest arbor mala bonos fructus facere, Neq; arbor bona malos fructus facere

Argumentū siue locus ab effectis. Maxima propositio, vbi effectum est, causam abesse non posse

COMPARATIO maioris est, quotiens id quod minus est maiori cōparatur. Ab hoc loco sic argumentabimur. Iohannis. xv. Nō est seruus maior dño suo, si me persecuti sunt, & vos persecutur, si sermonē meū seruauerunt, & vestrū seruabūt, Argumentū a cōparatiōe maioris, maxima ppositio, Quod in re maiore valet, valeat in minore, Item si maius adest, etiā id quod minus

MINORIS cōparatio est, quotiens maior res conferit minori, Ex eo capitur argumentum hoc modo. Ad Hebręos. ix, Si enim sanguis hircorū & taurorum & cinis vitule aspersus, inquinatos sanctificat ad emūdationem carnis, Quantomagis sanguis christi qui per spiritū sanctum semetipsum obtulit immaculatum deo emundauit conscientiam nostram ab operibus mortis ad seruiēdum deo viuenti, Locus a minore, Maxima propositio, Quod in re minore valet, valeat in maiore, Item si minus abest & maius abesse uidetur.

PARIA dicuntur quę eiusdem conditionis sunt. Ab eo loco ita fit argumētū, prima ad Corinthios. ix. Nūquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumcidendi, sicut & ceteri apostoli & fratres domini

b

& Cephas, aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi, Locus a comparatione parium, Maxima, Rerum parium idem esse iudicium

Nunc dicendum est de ijs quæ extrinsecus assumuntur & vocantur testimonia, quo nomine omnia comprehenduntur quæ ab aliqua re externa sumuntur ad faciendam fidem ut sunt oracula, auctoritates, confessata, vulgi opiniones sectæ, pacta, sententiæ, iudicia, consuetudo, usus, leges.

ORACULA sunt a quodam diuino numine prodita vaticinia ut numeri. xxiiij. Venient in trieribus de Italia superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.

AUCTORITAS est probabile dictum sapientis vel alicuius famati viri, atque præstantis in arte sua, ut est illud Pauli ad Titum .i. Dixit quidam ex illis prius ipse propheta Cretenses semper mendaces, testimoniū hoc verum est.

CONFESSATA sunt quæ ab aliquo extorquentur veritatis indagandæ causa, Quale est illud Matthei. viij.

Et ecce clamauerunt demoniaci dicentes, Quid nobis & tibi Iesu fili dei, Venisti huc ante tempus torquere nos

VULGI opinio est certa fama quæ omnibus videtur unde illud Marci. xi. Timemus populū, omnes enim habebant Ioannem quia vere propheta esset

SECTA est certæ disciplinæ alteri aduersæ imitatio, unde illud Actuum. xxiiij. Viri fratres Ego pharisæus sum filius pharisæorum de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor, & cum hæc dixisset Paulus, facta est dissensio inter pharisæos & Saduceos.

PACTA sunt conventiones aliquarum partium in idem tendentium, ut Lucæ. xxij. Et pacti sunt pecuniam illi dare & spondit, Ducitur ergo argumentum ex hoc loco Ioannis. vi. Dicebat autem de iuda Simonis iscariothis, hic enim erat traditurus eum.

IVDITIVM est futurorū æqua cogitatio, Proverbio
rū. xij, Cogitationes iustorū iudicia. inde sumitur argu-
mentū hoc modo, Matthæi. xvi. Facto vespere dicitis se-
renum erit, Rubicundū est em̄ cœlū, & mane. hodie tem-
pestas, Rutilat enim triste cœlum.

SENTENTIA est iudicis volūtas verbo aut scriptis
promulgata, Ad hoc conuenit quod scribitur Deute-
ronomij. xvij. Et facies quodcunq; dixerint qui p̄sunt
loco. sequeris sententiā eorum.

CONSVETVDO est diuturnitas morū cōsensu po-
puli approbata, vnde sic ducimus argumentum Gen.
xxix. Non est in loco nostro cōsuetudinīs vt minores añ
tradamus ad nuptias, Imple igit̄ hebdomadā dierū hu-
ius copulæ & hęc q̄q; dabo tibi scilicet ip̄am Rachel tibi
VSVS ē cōtrectatio rei, Ab hoc loco sic ducit̄ (iacob
argumētū, Ad Romanos primo, Immutauerūt naturalē
vsū, in eum vsū qui est contra naturam

LEX est sanctio p̄cipiēs iusta & prohibēs aduersa,
Vnde est argumēti maxima propositio, ad Romanos. ij.
Quicūq; in lege peccauerūt, per legē iudicabūtur.

DE ARGVMENTATIONE.

REPERITIS igitur locis qui sint causę adiuuētō, nos
se oportet quēadmodū argumētatiōes ornate & absolu-
te tractare possimus, sic & ipsi meminisse poterimus qđ
quoquo loco dixerimus, & auditor argumentationum
distribucionem facile retinebit

Perfecta itaq; argumētatio in quinę partes distribui-
tur, propositionē, rationē, rationis confirmationē, exor-
tationem, complexionem

PROponitur summatim quid probari volumus,

RATIO breuis ostēdit verū esse quod intēdimus

CONfirmatur ea ratio breuiter pluribus argumētis

EXornatur confirmatio, rei honestandę & locuples
tandę causa

COMPLECTIMVR finaliter quam breuissime partes argumentationis

Exemplū ex Epistola Pauli ad Hebræos sumamus. sic proponit Paulus capitulo. vi. Quod Iesus præcursor pro nobis introiuit interiora velaminis, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum

RATIONEM propositionis ostendit ex conditionibus ipsius Melchisedech & eius similitudine

CONFIRMAT rationē ex obuiatiōe, ex benedictiōe, ex decimatiōe, ex nomis interpretatione, ex Genealogia, ex infinitate, scē a cōtrario sic, qd nō scdm Aarō, qd ex alia tribu, quod ex iure iurando, quod in æternum.

EXORNATIONES horum omnium patent per totum capitulum septimum:

CONCLVDIT in capitulo. viij. finaliter cōplectēdo sic, Talē igitur habemus pōtificem, qui cōsedit in dextera throni magnitudinis in cœlis. & cetera quę sequuntur

Hęc argumentationis exercitatio ad plurima nobis est utilis, non tantum ad præsentēs omilias ac sermones verum etiam ad conficiendas epistolas & consilia in senatu danda & ad quælibet alia eloquia.

DE CONFVTATIONE

CONFVTATIO est obiectorum satisfactio, p quā aduersariorum confirmatio aut diluitur aut alleuiatur Diluitur modis dialecticorū ab Aristotele traditis, Alleuiatur aggressione cuiusq; grauissimi vt cætera auditor vana credat, Intermissione breuitatis causa, si tēpus daretur plane satisfacturi

PROMISSIONE solutiōis, si ante a pauca dixerimus quorum multitudinē auditorem obruimus, in tantū ob tundendo vt promissę solutionis immemor fiat.

ATTENVTATIONE ostēdētes amplificando fuisse possibile quod aduersarij dixerunt impossibile, aut alia mēte factū, aut punitū, aut pœnitentiā emendatum.

ADMONITIONE qua aduersarium si in argumen
to eo pseueraret in pericula casurum minabimur.

QVESTIONE duorū vel pluriū ex quibus male al
ter sit electurus aduersarius vel cui rñdere nō possit

RETORSIONE argumentorum in aduersarios.

ILLVSIONE, quādo argumēta in risum resoluimus.

CONTEMPTIONE illorum, tanquā humilia, extra
propositum, doctis indigna pretereuntes

SVSPITIONE postremum, Nam quæ probare non
possumus figuratis suspicionibus aspergenda sunt

DE CONCLVSIONE

CONCLVSIO est Sermonis terminus, auditoris me
moriā reficiens & animum eius commouēs, quæ alio
nomine dicitur Peroratio.

Singulæ sermonis partes suos epilogos & breuiss
mas cōclusiones recipiūt preter diuisionem

CONCLVSIO quæ pars ē totius homiliæ siue sermo
nis ecclesiastici cōstat enumeratione & amplificatiōe

ENVMERATIO est, per quam ordine colligimus
et commouemus quibus de rebus verba fecerimus bre
uiter vt remouetur nō redintegretur

Curandum est ne aut a principio aut a lectiōe repe
tatur sermonis enumeratio, Quia ppter secūdū Diuisio
nem sumendum est enumerationis initium.

AMPLIFICATIONIS tota uis est & mouere ani
mos tepentes & sedare cōmotos

MOTVS est incitatio animi, aut ad uoluptatem, aut
ad modestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem.

Ad uoluptatem mouentur homines, aut charitate vt
dei, angelorum, sanctorū, ecclesiæ, aut amore vt fratrum
coniugum, liberorum, familiarū, prelatorū & officiorū
in ecclesia, aut honestate vt virtutum maxime earū quæ
ad communionē hominū, & liberalitatem ac mandatorū
alleuiationem, & conscientiarum serenationem valent;

aut decore, transferendo sensibilia ad intellectū, deinde ad mentem, demum ad vitam angelicam.

Ex his & cohortatiōes sumūt ad ea retinēda, & in eos a quibus ea uiolata sunt, odia incitāt, et miseratio nascitur
DE LOCIS COMMVNIBVS

Loci cōmunes ad illud plurimum sunt vtilēs quibus aut incitandus, aut omni ratione, ad tempus, ad locū, ad causam, sermone moderādus est auditor, Vbi sepe beni uolentiā ad odiū, Odium ad beniuolentiā deducendū ē. Qui tum ad seueritatem, tum ad remissionem animi, tū ad tristitiam, tum ad leticiam, est cōtorquendus

LOCI cōmunes quibus mouetur odium & indignatio & econtrario amor & uoluptas sumuntur

AB auctoritate, Cum exponimus quantē curę ea res fuerit deo & angelis, patriarchis & prophetis, alijsq; sctis, aut maioribus nostris, regibus, ciuitatibus, nationibus, homibus sapientissimis, senatui ac legibus

ARELatione ad quos illę res pertineant, vtrum ad superiores nobis an ad pares, an ad inferiores

A facilitate imitandi vel vitandi mala

A Dissimilitudine huius negocij ad alia

A consilio quod res sit deliberate ac dedita opera facta recensendo causas

AB exaggerando facinore siue sit tetrum, crudele, nepharium, tyrannicum, seu cōtra sit, preclarum, mite, humanum, nobile ac regnum

A nō vulgari, Quoniam singulare sit factum.

ACOMparatione facinorum, Quod alterū sit altero melius aut peius recensendo, vbi, quomodo, quando

A consequentiā rei, Vbi exponemus acriter & diligenter vt agi res & geri negocium videatur, Rerum consequentiū, & periculorū atq; incōmodorum siue honorū quę inde cōsequantur enumeratione

DEmōstratiōe rem ipsam oculis subijcere possumus
vt si cōtra iudeos ostēdamus cruentum sudarium & spī
neam coronam christi, & clauos & crucem & ecōtrario
serta, palmam, miracula, honorem

CONuersione atrocitatis in nos ipsos vel nobis cōiū
ctos, si simili fortune subijceremur

COMMISERATIO est auditoris misericordiā
captans sermo, quæ his locis mouetur

VI FORTVNE. Si ostēderimus stabilitatē atq; com
mutationem fortune perpeſſe vel patiendę etiam a qui
bus minime decuit auditori exemplo futuram

Tolerantia magni, excelsi, & fortis animi & patientis
incōmodorum

DEploratione singulorū incōmodorū breuissima

CONuertentia similis casus ad eos qui audiunt vel
eorum charos amicos

HVMANITATIS erga cæteros cōmunicatione.

Commendatione iunctis precibus, obsecrationibus,
adiurationibus

Vtilitate qua omnia referuntur ad. R. P. comoda &
gloriā atq; exēplū auditoris, posteritatisq; memoriam.

Confessione quasi deficiētis præ dolore, vt cū dico sed
finis sit, neq; em̄ iam loqui possum, Quæ similes etiā ac
tiones habere debet lachrimarū effusione, manuum cō
plosione, brachiorum transfusione, Quod maxime in
passione dñi, & cōpassione beatę marię virginis, & cete
rorum sermonū funebrium actu cōuenit

DE MEMORIA

Vnc vero secundam artis partem, ita tractabimus
n vt relicta naturali memoria de artificiali tantum in
presentia dicamus

Cōstat igitur artificialis memoria ex locis & imaginib;
bus, sicut tabulæ scriptura, ex cæra & litteris

LOCORVM quædã cõstituit natura, quædã ingenio
excogitatur, quædã ex his cõposita conficiuntur.

LOCA sint mediocri luce, mediocri distantia, & in p-
te quiesca quãtũ fieri potest sita, vt & re & nomie possint
imaginũ rationi correspõdere, Sicut autem nimia dila-
tatio ita nimia compressio nocet, Cauendũ igitur ne ni-
miũ dilatata fusa ac vaga incerta anceps & ignara mēs
fluctuet, Quod ne cõtingat oportebit loca quę sumpse-
ris egregie notare, vt perpetuo nobis herere possint, Nã
imagines sicut littere delẽtur ubi nihil utimur, Loca ue-
ro sicut cera remanebunt

Plures loci debent esse, vt plures imagines collocare
possimus

Quintilianus & Cicero quintum quemq; locum no-
tandum commemorant, Quod nobis aulas aut cubilia
intransibibus facile fiet

Locos ordine locatos a sinistra ego consueui recense-
re ad dextram

NUNC ad imaginum rationem transeamus, Quoni-
am igitur rerũ similes imagines esse oportet, ex omnibus
verbis natas nobis similitudines eligere debemus

SIMILITVDINES autẽ sunt duplices, vna rerũ, alte-
ra uerborum, Rerum similitudines exprimuntur cum cõ-
summatim ipsorũ negociorũ imagines cõparamus, Ver-
borum similitudines cõstituuntur cum vnus cuiusq; no-
minis & vocabuli memoria imagine notatur.

Rei totius memoriã sepe una nota & imagine simpli-
ci cõprehendimus, Cũ autem verborũ similitudines ima-
ginibus exprimere volumus, plus negotij suscipimus et
magis ingenium nostrum exercebimus

Facilior est rerum imaginatio, uerborum autem diffi-
ciliior, oportebit igitur in hac secunda memoriã natura-
lem crebro exuscitare, ut uocabulis positis, ipsi nobiscũ
primo transeamus bis aut ter eundem uersum seu vo-

cabulorū ordinē, deinde cum imaginibus verba expris
mamus, hoc modo nature suppedabitur doctrina.

IMAGINVM, quædā facile sunt delebiles, quædā lō
gius manent, parue enim res vsitata & quotidiana facili
lius memoria elabuntur, At uero egregie, incredibiles,
ridicule, insignes & nouæ, diutius manent.

Sint autē similitudines multū cognitæ nobis & aliquid
agētes cum insigni quadam nota vel pulchritudinis, vel
turpitudinis aut certe ridiculi cuiusdam, Ad eas cōstituz
endas, plurimum nos iuuare solent quæ sequuntur

EFFICTIO corporum, vt cum senem facimus tremu
lum, incuruum, labijs demissis. canum

NOTATIO affectuum, vt voracem lupū, timidus le
pores, sic læra iuuētus, tristis senectus, prodiga adolescē
tia, a uaræ mulieres, liberales viri, pallida fames.

ETYMOLOGIA, vt Philippus amator equorum, la
cobus supplantator

ONOMATOPOEIA idest cognitio uerbi a sono vo
cis vt Tarantara, hinnitus equi, mugitus boum, bom
bitus apum, grus gruit, &c.

RERVM effectus, Vñ cuilibet mēsi officia sua assigna
mus, cuilibet diei suū planetā vel hebdomadę exercitiū.

Arma instrumenta, officia suos indicant auctores vt
mola, subucula, rastrū.

OPPOSITVM sepe suum contrarium significat vt tes
tudo pro velocitate secundum ironiam

ACCIDENS etiā suum subiectum connotat vt nig
redo athiopem, fuscado italum, albedo belgas, Vnde
uersus, Causa vel oppositum simul instrumēta vel actus

Consimilis facient te meminisse rei.
Memoriam autem potissimum duo saluant, Positio sub
ordine & frequens meditatio

Ad extremum plures huic arti litteras reales adiung
unt, quæ multū valent imaginibus appensę seu tanquā

b v

notę inuſtę. Quę omnia debet aſſiduitas exercitationis diligenter experiri

DE Pronunciatione

De duabus ſermonis partibus ſupra dictū ē Nūc proficiſci ad iſtituta eius, quę reliq̄ & poſtrema ē pergemus
Pronunciatio eſt geſtus & vocis moderatio.

GESTVS ſit recto corporis ſtatu, æquis pedibus, facie oculiſq̄ ſecundū naturā rectis, Nō facie humiliter deiecta, nec arroganter ſupina, nec in latus ruſtice inclinata, nec cōnuiuentibus compreſſis ve oculis

VVLTV quāmodeſtiſſimo, nō verecūdo, nō timido non mœſto, nec etiā arrogantī vel audaci

MANVS ſint nec immobiles, nec vt leuiū hiſtrionū nimis ac indecore geſticulantes, Sed rem grauitate qua dā oſtendēt, & quod vultus aduerſat, ipſę repellāt Caſuēdum ne geſtu ad latera uerſo, alterius lateris auditores vocem parum cōcipiant

Vitioſi geſtus ſunt ſuſpicere & tacendo intueri laquearia, perfricare faciem, crebro digitorū labiorumq̄ motu cōmētari, ſupcilia corrugare, manus intueri, infringere articulos, ſimulare ſollicitudinē & cętera id genus de formia

Vox ſit modeſta, ſedata, & auditori tamē ſufficiēs ac exaudibilis, Vbi præiudicāt, loci quātitas, auditorū multitudo atq̄ diſtātia, Omnis autē nimietas vitāda ē, vt vocalatio nō nimis expreſſa ſit, Cātare em̄ & modulari vitioſiſſimū eſt, nec ſic depreſſa vt etiā a proxime aſtantiſbus vix aut minime audiat, Quo vitio in ſermonis principio quidā & eorū quāplurimī ſtulte laborant putantes, ad vnguē obſeruare illud Ciceronis in tertio ad Herennium, qui ait, quammaxime ſedata & depreſſa voce principia dicemus, Qui em̄ vocē iubet deprimere is nec taciturnitatē laudat nec muſſitare præcipit, ſed dicere vt facile audiat, licet ſedato ſono

DISTINCTA sit, singulis litteris suo sono pronuntiatis non lingua balbutiente nec nimium accelerata, non naso resonante, tussi, sputo, emunctione, labiorum motu, Quasi faucibus aliquid obstitit confuso murmure, aut quasi memoria fefellerit silentio deformata

Virilis sit pronuntiatio, a pectore resonans, non pinguis, absurda exilis, effœminata

Dulcis sit, non acerba & agrestis, non acutis exclamationibus violenta

Preuisa sit, ut dum presens sententia pronuntiatur proxima oculo aut mente provideatur.

Exordium æquabili voce, Narratio punctuata & rerum ac personarum proprietates representate recitanda est Confirmatio & refutatio, ad auctiorem sono, cum quadam honesta varietate, Si autem ioculus quispiam incidat sermo, eum cum parua prudentiæ risus significatiõe ostendemus

Conclusio, virili vultu, voce tonanti, commutationibus crebris & debita celeritate proferatur

Comiserationem uero, voce humili & sono inclinato crebris intervallis, luctuoso plangore, mœsto & conturbato vultu proferamus.

Extrema in oratione, vno spiritu continenter multa dicamus, ut auditoris animum quam uehementissime moueamus.

Hęc omnia duo nobis copiosissime subministrabunt. Et optimorum imitatio, & exercitatio indefessa

Finit liber Cogestorum Ioannis Reuchlin Phor
censis. LL. Doctoris, Tempore pesti
litis æditus in Denckendorff


Pr. Idus Septem. An

no. M. D. ij. Im

pressus phor

ce. M. D.

viii.



LB 4743



